

[1]

S. JOANNES NEPOMUCENUS
invictus sacramentalis silentii athleta,
fidelis Jesu Christi ad iniqua praesidium tribunalia silentis et patientis
ad mortem usque aemulator

Piae Excellentissimorum, Illustrissimorum, Reverendissimorum,
 Perillustrium,
 Reverendorum et Praecellentium D. Sodalium
 meditationi, imprimis honori et venerationi Reverendissimi,
 Perillustris ac Amplissimi Domini, Domini Josephi Mika,
 Sacri, Candidissimi, Canonici ac Exempti Praemonstratensium ordinis
 in Celeberrimo ac Regio Doxanensi Parthenone Praepositi infulati,
 Sacrae, Caesareae, Regiae ac Catholicae Majestatis Consiliarii
 ac Regni Bohemiae Praelati Dignissimi,
 Almae Sodalitatis B. V. Mariae ab Archangelo Salutatae
 Rectoris Meritissimi,
 et Reverendissimorum, Amplissimorum Assistentium et Benefactorum
 lugubri scena sub Patientis Domini ferias
 ab eadem Sodalitate propositus et dicatus
 agentibus pro theatro facultatis oratoriae studiosis ejusdem
 Congregationis sodalibus in Regio-Caesareo Litomericensi gymnasio
 anno 1732, mense Aprili

[2]

ARGUMENTUM

Sanctus Joannes, Nepomuco Bohemorum oppido oriundus, a sublimioribus scientiis et praeclaris virtutibus copiose celebratus, cum Wenceslaus, Caroli IV. filius, Romanorum et Bohemiae Rex IV., paternae virtutis immemor, eo dementiae prolapsus esset, ut piis regiae conjugis suae officiis in furorem actus, quae illa in sacramentali confessione aperuit sibi ab illo patefieri debere, nefario ausu, blanditiis magnisque pollicitationibus contenderet, constanti animo sacrilegum facinus abhorruit; imo nec carceris squallore, nec catastae impositus, tormentis et facibus ad latera admotis emolitus, donec tandem invictus Christi et sacramentalis silentii athleta jussu regio in Moldavae flumen praecipitaretur. Ita Bulla canonizationis Benedicti XIII.^a Quod

^a Cf. *Christus Dominus*.

vero praesens argumentum Dominicae passioni aemulum peculiari studio sacra poësis accomodavit,^b singularis fecit praerogativa Martyris, qui Mellifluo teste 5. in Cantico 61.: *Cujus languore sanatus est, gloriosam repraesentat similitudinem mortis ejus – stat Martyr tripudians, toto licet lacero corpore – ubi ergo anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in visceribus Jesu.*^c Et praecipue quidem compertum est Sanctum Joannem pio meditandi studio jam a primordio sacerdotii sui deditum fuisse, qui et inter tormenta ad majorem Divini Magistri sui imitationem toto animo in passionem ejus defixus erat; cujus identidem sanctissimum nomen invocavit et hodie piis Christianorum penicillis in Crucifixi amplexu visitur adumbratus.

PROLUSIO

Ut devota sacratori sub rosa Taciturnitas ampliori sanctitatis gloriae illius ectypa, qui *quasi agnus coram tondente se obmutuit*. Isaias c. 53. v. 7.,^d subinde splenderet, acerbis eandem spinis coronat Amor Theandricus; imo superni amoris flamma animatam inter undas eam sibi holocaustum immolari deposcit.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Wenceslaus zelotypiae stimulis in regiam conjugem multum agitatus, sacrilego tandem, quod Remondus, paris cum Rege sortis aulicus, probat, consilio Reginae intima ab ejusdem conscientiae arbitro Joanne sciscitari statuit.

SCENA II.

Dum interim Joannes pro more suo passionem Dominicam meditari coepit et Salvatori suo conformari ardentius avet, adest Remondus a Rege ablegatus, qui eum ad aulam citat.

^b Accomodavit, stažený tvar perf. kmene od *accomodaverit* (v rkp. je stažený tvar naznačený přízvukem *accomodârit*).

^c Bernard z Clairvaux: Sermones in Cantica Canticorum, Sermo LXI (Migne, Patrologia Latina 183, col. 1074): [...] *Non est quod vereatur martyr exsanguem lividamque levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est, gloriosam repraesentare similitudinem mortis ejus, utique in pallore auri. Quid vereatur cui etiam a Domino dicitur: „Ostende mihi faciem tuam?” Ad quid? Ut mihi videtur, se magis ostendere vult. Ita est: videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est ei opus ut quis se ostendat, a quo nil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergo videri, vult benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. 8. Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.*

^d Is 53,7: *Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente obmutescet et non aperiet os suum.*

SCENA III.

Paret promptus Joannes, secum quidpiam de commisso sibi Eleemosynarii munere tractandum ratus; ut vero sacrilegum Wenceslai petatum intelligit, exhorrescens devotum silentii sacramentum violare animose detrectat.

SCENA IV.

Wenceslaus renixu Joannis utut commotus, simulat sub speciosae amicitiae larva furoris oestrum; cum vero ob crimen in cocum adversus humanitatis legem commissum leniter ab eo objurgatur, in transversum actus Joannem de crimine laesae Majestatis reum carceri mancipat.

[3]

SCENA V.

Joannes inter squallores carceris, aulicorum sannas et satellitum opprobria hilariter prorsus animo persistit, illo sese consolans, quod aliquo tandem modo conformis fieri valeat imagini Filii Dei ad Annae tribunal impie caesi, in domo Caiphae inique delusi.

CHORUS

Veritas claudi et ligari potest, vinci non potest, quae et suorum paucitate contenta est, et multitudine hostium non terretur. S. Hieronymus in Proaemio Commentariorum in Hieremiam l. 5.^e

ACTUS SECUNDUS**SCENA I.**

Diversa aulicorum de Joanne an aequae, an inique vinculis addicto sensa. Cum autem Monredus pro Joannis innocentia instat fortius, perfidiae reus insimulatur.

SCENA II.

Accedit familiarium de longiori absentia Joannis sollicita inquisitio.

SCENA III.

Remondus proinde in Monredum sufflammat aulicos, quod ipsum apud Regem perficere contendit.

SCENA IV.

Verum Rex quasi paenitudine ductus Joannem carcere solutum ultra pene, quam regiae Majestati par est, amica benevolentia palam complectitur. Inde Monredi de Remondo ejusque minis, ut retur, frustra intentatis plausus.

^e Hieronymus, Commentariorum in Jeremiam Prophetam, lib. V (Migne, Patrologia Latina 24, 1009–1010, col. 829): *tamen veritas claudi et ligari potest, vinci non potest; quae et suorum paucitate contenta est et multitudine hostium non terretur.*

SCENA V.

Cum autem Wenceslaus Joannem in conclave abductum ad eliciendum ex eo conscientiae arcana novo rursus, sed casso tentat ariete, furore percitus lictorum cohorti torquendum tradit.

SCENA VI.

Joannes, quid rabida haec hominum faex secum actura sit, probe dispiciens, Salvatorem suum in Pilati domo flagris immane caesum et spinis coronatum ut pio ruminat animo, ita sese generose obarmat et silentium ejusdem plusquam humanum deinceps imitari altum proponit.

SCENA VII.

Qvare catastae impositus, urentibus faculis excruciat, Salvatoris sui pro se patientis memor, dulce in doloribus ejusdem nomen inclamat.

CHORUS

Tam fortis invictaque res est virtus! Dum patitur, se affligentes vincit. S. Chrysostomus homilia 23. in Genesin.^f Veram ergo Christianus virtutem colat.

[4]

ACTUS TERTIUS**SCENA I.**

Monredus, ex aulae susurris comperto Joannis statu, benevolum Wenceslai in Joannem animum latentis in corde rabiei larvam fuisse ediscit; ne simile quidpiam, perfidiae aliunde insimulatus, in pelle sua persentiat, clam se aula subtrahit.

SCENA II.

Familiaribus Joannis subinde obviis, quae in aula imperio Regis gesta exponit eosque ad facinus in Patre illorum sacrilege patratum animose vindicandum stimulat.

SCENA III.

Illis se armantibus et mutuo animantibus, inopine et Divina non nisi ope incolumis rursus palam apparet Joannes; inde communis plausus.

SCENA IV.

Richardus inter suos longe animosior intellecta morte, quam sibi proximam immine praedicat Joannes, juramento statuit vindictam in Wenceslaum et tutelam adversus illum promptus offert; sed vanos reprehendit conatus pius Sacerdos docetque, quam muneri suo competat ad majorem Divini Magistri, a Pilati jure et Judaeorum

^f Cf. Joannes Chrysostomus, Homiliae in Genesin 23 (Migne, Patrologia Graeca 53, col. 199): *Tam fortis invictaque res est virtus et um patitur, laedentes vincit*; Divi Joannis Chrysostomi archiepiscopi Constantinopolitani Opera omnia, Parisii 1687, col. 66: *Tam fortis invictaque res est virtus et dum patitur, affligentes vincit*.

rabie se facile potentis vindicare, nolentis tamen, imitationem, mortem sibi praestitutam obire.

SCENA V.

Richardus nihilominus nimio in Joannem amore ductus, unde unde adversus Wenceslaum turbas concitat; sed incassum.

SCENA VI.

Vix enim piis et anhelis ad Christum a Pilato cruci inique addictum votis mortem operitur, illico pluribus ab aula ablegatis ad Regem cogitur.

SCENA VII.

Joannes, invicto prorsus silentio, improbum dedignatus Wenceslai desiderium, Regis tandem imperio inter amorosos Salvatoris crucifixi amplexus praeceps in flumen agitur.

Spectator!

Animo imprime.

Satis / Jam parta nobis gloria est, Prudentius in hymnis,^g Joannis,
nam

Tacere adversus inimicos inter calumnias et dolores Divinissima Christi virtus est.
Baëza, l. 4. c. 3.^h

Sic nempe

Christiano contemnenda mors est, ubi Christus pro salute nostra occisus est.
D. Cyprianus de laude martyrii.ⁱ

Litomericii, typis Francisci Skrochowsky, Episcopalis typographi

^g Prudentius, Peristephanon, Hymnus X, 767–768.

^h Cf. de Baeza Ponferradiensis, D.: *Commentariorum moraliorum in Evangelicam historiam. Pars prima.* Lugduni 1631, lib. IV, c. III, § XVIII, s. 240: *Maxima et divinissima Christi Domini virtus adversus inimicos, quod inter calumnias taceat, nec proferat dignum suae divinitatis.*

ⁱ Cf. pseudo-Cyprianus Carthaginensis, Liber de laude martyrii XI (Migne, Patrologia Latina 4, col. 793): *Porro autem contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est.*